



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum IV. Sed nec.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

fiat prohibitionis hujus, quoad sæculares Clericos, aliqua declaratio, uti suo loco videbimus: quando verò dicitur non licere hoc Religiosis post votum Religionis, & factam in Ordine aliquo Religioso professionem, intelligitur hoc prohiberi, non post votum tantum simplex de Religionis ingressu, sive post vota simplicia tantum in Religioso Ordine facta, qualia sunt vota Scholasticorum Societatis JESU, sed intelligitur prohiberi hoc, & statui de illis, qui post factam expressam aut tacitam in Ordine Religioso Professionem contra hanc prohibitionem agunt; quicquid dicat Suarez, prohibitionem hanc ad Scholasticos etiam Societatis extendens. Plures autem requiruntur conditiones, ad pœnas hic statutas incurrendas, de quibus tamen rectius dicitur in *cap. final. hoc tit.* ubi pœna excommunicationis etiam in transgressores constitutionis constituta, examinabitur; & ostendetur insuper, quamvis nomen *legere*, quo in *hoc cap.* utitur Pontifex, rigide acceptum, idem dicat ac *docere*, in hac tamen prohibitione sub hoc nomine prohiberi Religiosis, post factam professionem, etiam leges Civiles, aut medicinam *audire*, & in relatis in *cap.* pœnas incurtere, qui animo audiendi hæc talia ex claustrò exiverint, extra claustra morentur, & intra duorum mensium spatium, ab egressu extra claustrum computandum, animo hæc talia audiendi, ad claustrum non redierint, prout ex *cap. finali hoc tit.* patet, & ibi declarabitur.

CAPITULUM IV.

Sed nec.

PARAPHRASIS:

Prohibet iterum in hoc cap. idem Alexander III. Pontifex in Concilio Lateran. ut ne Clerici (in sacris constituti) aut Religiosi, ullam procuracionis, aut jurisdictionis sæcularis, sub Principibus vel Dominis Sæcularibus, curâ in se suscipiant,

eorum justitiosos (judices) agendo, seu in causis sæcularibus jus dicendo, ita, ut si quis adversus hæc venire tentaverit (cum effectu scilicet, qui ad pœnam incurrendam requiritur) & velut iudex sæcularis domini in causis sæcularibus jus dicere præsumpserit, ab Ecclesiastico ministerio fiat alienus, sive ab Ecclesiastico ministerio, seu officio suspendatur, pro eo, ut ait Pontifex, quod officio Clericali neglecto studiis saculi, ut potestatibus placeat, se immiscuerit, & in hoc contra doctrinam Apostoli egerit, qui putavit, neminem DEO militantem, sæcularibus negotijs se immiscere & implicare debere.

CAPITULUM V.

Clericis.

PARAPHRASIS.

Revocat in memoriam Alexander III. Pontifex in hoc cap. Archiepiscopo Cantuariensi, quod jam olim in Concilio Toletano prohibitum fuerit Clericis, in sacris constitutis, ut ne judicium sanguinis exercent: unde etiam ipse prohibet, sub privatione loci & honoris, ut per se truncationes membrorum non faciant, nec per alios inferendos judicent; & cum interminatione anathematis (excommunicationis) prohibet, ne Sacerdos aliquis officium Vice-Comitis sub sæculari Principe (cui executio jurisdictionis committatur, hoc enim dicit in *hoc cap.* Vice-Comitis nomen, aut præpositi sæcularis officialis, scilicet ad exercenda judicia sæcularia constituti) in se suscipiat, ipso facto excommunicationi obijciendus, si contra hanc prohibitionem venire præsumpserit, & monitus se emendare noluerit. Ulterior hujus Pontificiæ prohibitionis explicatio in *cap. 9. hoc tit.* videri potest, ubi plura prohibentur.